

- TEXTE : Fabulae Mirabiles : Tres Porcelli -



Olim anus porca tres filios misit qui suam fortunam invenirent. Primus porcellus viro multum stramenti portanti occurrit. "Quaeso," ait porcellus, "da mihi stramentum quo domum aedificem." Vir porcello stramentum dedit, et porcellus suam domum e stramento aedificavit.

Paulo post adambulavit magnus malus lupus, qui portam pulsavit. Ait lupus, "Porcelle, porcelle, me inire sine!"

Porcellus, qui lupum timuit, respondit, "Non per comam men-men-menti!"

Clamavit lupus, "Ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!" Et huffavit et puffavit et flavit tanta vi ut domus vastaretur. Tum magnus malus lupus infelicem porcellum voravit.

Secundus porcellus viro fascem ramorum portanti occurrit. "Quaeso," ait secundus porcellus, "da mihi hanc fascem quibus domum aedificem." Vir porcello fascem dedit, et porcellus suam domum e ramis aedificavit.

Mox idem magnus malus lupus appropinquavit.

Cum primum porcellum modo edisset, tamen esuriebat. Vidit domum e ramis factam et ait, "Porcelle, porcelle, me inire sine."

Porcellus timuit, et respondit, "non per comam men-men-menti!"

Iterum clamavit lupus, "Ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!" Et huffavit et puffavit et flavit potentius, et domus lignea vastata est. Et magnus malus lupus porcellum secundum cepit et voravit.

Tertius porcellus astutus erat. Invenit virum lateres portantem et ab eo petivit, "Quaeso, vir, da mihi lateres quibus meam domum aedificare possim." Vir porcello lateres dedit, et porcellus suam domum e lateribus aedificavit.

Sed magnus malus lupus adhuc esuriebat! Domum porcelli vidit et portam pulsavit. Ait, "Porcelle, porcelle, me inire sine!"

Respondit porcellus, "Non per comam men-men-menti!"

Et lupus clamavit, "Ergo huffabo et puffabo et tuam domum inflabo!" Et huffavit et puffavit et flavit potentissime, sed fortis domus latericia constitit. Cum se hanc domum inflare non posse reret, lupus, qui maxime esuriebat et callidissimus erat, ait, "Porcelle, scio ubi pauca bona rapa sint."

"Ubi?" rogavit porcellus, cui rapa placebant.

"In agro Marci. Si mihi occurreris secunda hora cras, ire et rapa colligere poterimus."

"Optime," respondit porcellus, et magnus malus lupus abiit. Sed mane, porcellus profectus est prima hora, rapa collegit, et domum revenit ante secundam horam.

Lupus advenit et rogavit, "Porcelle, nonne paratus es?"

Porcellus respondit, "Iam rapa collegi et reveni." Lupus iratissimus erat. "Iste porcellus non me fallit iterum!" dixit, et in tectum porcelli scandit ut domum per caminum iniret. At porcellus lupum audiens magnum ignem fecit et magnam ollam plenam aquae in igne posuit.

Cum magnus malus lupus per caminum saluerit, in ollam cecidit! Porcellus statim ollam operuit et lupum coxit. Multos dies porcellus ius lupi edit, et Feliciter posthac vixit.

Et illa est fabula trium porcellorum et magni mali lupi.